

1 Multa sunt, Card. Amplissime, quae me post diuturnum silentium, iam tandem Amplitudinem tuam gravissimis rei christianae negotiis distentam interpellare compellunt. Primum quidem me ingrati animi labe conspersus illi videar, cui me peculiari quadam ratione
5 tam sub ipso initio, quam toto postea progressu religiosae illius sortis quae mihi Dei nutu obvenerat, multis nominibus devinctissimum fuisse recolo. Sed praeter hoc privatum officii à me peragendi vinculum, longe gratissimi animi significatio, tum meo tum omnium sociorum nomine ei iure optimo debetur, qui nobis in hoc difficillimo agone contendentibus, opportuna saepius ministravit subsidia, et erga hoc afflictissimum regnum, pissimum semper monstravit affectum. Et quidem si hactenus necessitatibus nostris haec pergrata non defuerunt adminicula, nunc multo magis desideranda sunt, et imploranda; quando mirum in modum ingeminatae et auctae, nondum tamen
15 impletae sunt iniquitates Amorrhaeorum; qui novis et inusitatis tribulationum acerbitatibus ambulantes digne Deo ita devexant, ut ad eminentes quosque catholicae fidei propugnatores necessario fugiendum sit, et cum Apostolo conclamandum: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis in illis sint (vel potius apud quos haec nunquam desunt) ut iam cum perfidorum machinationes ad ipsum culmen tendant, orthodoxos hic in tantis difficultatibus constitutos, ope, consilio, caeterisque christianae pietatis officiis foveant, ac tueantur. Quae autem in praesentiarum veros Dei cultores maxime molestant, haec
20 sunt. Imprimis id non leviter bonorum omnium animos angit, nimirum apud externos, adversariorum impios conatus, dolos malos, insidias in odium avitae et apostolicae fidei structas, multum praevalere. Hinc enim fit ut vanissimis imposturis, et perditissimis haereticorum mancipiis ementito nomine catholico, de industria tamen ad causae
30 catholicae veritatem impugnandam, et ad legitime decertantium coronam

1 / obscurandam, per diversas regiones missis, tanta fides habeatur, ut plurimi non credant, Britannicas hasce procellas, carcerum squalores, mulctas gravissimas, sacrorum profanationes, bonorum rapinas, Petri cathedrae contemptum, divinorum ad aeternam salutem consequendam necessariorum conculcationem, omnis sanctitatis exterminationem, innocentum sanguinis effusionem, iniquissimam venerabilium sacerdotum internecionem, denique immanem hanc et ex omni parte vandalicam persecutionem non pro religione, sed perduellione potius aggravari et recrudescere; cum tamen non minus evidens quam certum sit, aerumnas

10 istas non pro crimine maiestatis offensae, sed pro Christi causa defensa subortas esse ac toleratas. Alii vero sunt qui facile adduci possunt ut credant, fornacem hanc Babylonicam ad catholicos absumendos septuplum succendi, quia hoc manifestissime constat; ad id non voluntate regis, sed instigatione consiliariorum, aliorumque magistratuum evenire existimant; et hac ratione multi magnatus, virique

15 principales per eosdem ementitores hallucinati, in spem inducuntur, brevi fore ut rex ipse ad saniora consilia revocetur. Faxit divina bonitas ut spes illa nec fallat nec confundat. Certe si Dei nostri miserationes spectentur, qui (propheta teste) benignus et misericors

20 est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia; de serenissimo nostro Jacobo non est desperandum; pro quo subditi catholici etiam per ipsum angustiati et afflicti, benignissimum dominum fuis lachrymis precibusque assiduis exorant, ut et viam veritatis eligat et bravium supernae vocationis non amittat. Sin autem

25 necessariae illae dispositiones expendantur, quae post Deum vocantem et excitantem requiruntur in conversione et iustificatione adultoram, maxime mirandum est qua via quove modo spes illa optabilissimae conversionis affulsit, cum apertum sit, praeparationes requisitas contrarium ostendere, omnemque tanti boni expectationem tollere; quin etiam evidenter indicare, non tam senatores principem senatus, (ut ab emissariis politicis insusurratur) quam ipsum princi-

/ pem senatores, praesides, iudices, caeterosque temporibus servientes instigare, et premere, ut nihil praetermittatur quod vel ad veram fidem abolendam vel ad calvinianam perfidiam stabiliendam spectat. Quae cum in praxi ita sint, facile apparet rumores illos sparsos

5 de regis clementia non solidis niti fundamentis, sed ab adversariis in maximum huius missionis praeiudicium divulgari. Nonnulli enim (de externis adhuc loquor) qui prius pressuras Anglicanas sublevabant, iam his fallaciis decepti, detrectant solita christianae dilectionis vel signa exprimere, vel opera exercere; ne (inquiunt)

10 retardetur regis emendatio, ad quam tamen nulla praevia cernitur dispositio; neve tantus rex irritetur quasi propter potentiam esset pertimescendus, cum revera iusto Dei iudicio (ut satis superque innotescit) pauper sit, miser, miserabilis, meticulosus, pusillanimis à nullis formidandus nisi à subditis oppressis, expilatis

15 exesis: absit tamen ab iis quantumcumque concussis et exhaustis, vel patientiam reiicere, vel in civilibus sine offensa Dei licitis, regi morem non gerere. Attamen verissimum est illud Salvatoris elogium: nempe filios huius saeculi prudentiores esse in generatione sua quam filios lucis; fraudibus enim filiorum huius saeculi hic

20 furentium id efficitur, ut quia eorum abundat iniquitas, multorum externorum illic trepidantium timore ubi non est timor, refrigescat charitas. Sed caveant mortales ne nimium confidant in principibus alienatis à Deo, ne dum contentur humanam aucupari gratiam, divinam contemnant charitatis legem. Probatus quidam, doctus, et

25 catholicus senex, de his et similibus mecum agens, subitaneo et (ni fallor) non improbando spiritus fervore impulsus, in haec verba prorupit: Ubi (inquit) sunt misericordiae tuae antiquae Domine? ubi habitat ille pietatis zelus quem Ludovicus Galliae rex, vel pro solius Beati Thomae Cantuariensis antistitis morte monstravit? quibus

30 dictis protulit è sinu schedulam propria manu ex chronicis anglicanis scriptam contra Henricum 2^m Angliae regem S^{ti} Thomae Can-

1 / tuariensis interfectorem. Schedula continebat quae sequuntur: Domi-
no et patri suo Sanctissimo Alexandro Dei gratia Summo Pontifici,
Ludovicus rex francorum, salutem et debitam reverentiam. Ab humana
pietatis lege recedit filius qui matrem deturpat, neque creatoris
5 beneficii reminiscitur, qui de sanctae Sedi illata turpitudine non
tristatur. Verum specialius est condolendum et novitatem doloris
excitat inauditae novitas crudelitatis; quam in sanctum Dei insur-
gens malignitas exercuit, in pupillam Christi gladium infixit, et
lucernam Cantuariensis ecclesiae non tam crudeliter quam turpiter
10 iugulavit. Excitetur exquisitae genus iustitiae: denudetur gladius
in ultionem Cantuariensis martyris; quia sanguis eius clamat pro
universali ecclesia etc. Haec non eo consilio refero, ut quid faci-
endum sit intinem, sed ut vere orthodoxorum etiam in mediis perse-
cutionem flammis aestuantium, animos, et inconcussam fortitudinem
15 efferam.

Sed praeter haec mala forinsecus illata, multa etiam intrinse-
cus nascuntur incommoda. Primum et illud quidem non exiguum est,
periculum in falsis fratribus; quorum hic est ingens multitudo. Ex
his nonnulli non solum laici sed etiam sacerdotes, in apertam apos-
20 tasiam prolabentes, raptò vivunt: quod vitae genus illis ex lege
conceditur, ut quae diripiunt à catholicis rapiant. Alii vero sunt
his longe periculosiores, qui scilicet pro domesticis fidei haberi
vonunt, ex quibus non desunt qui pro forma et specie tenus in cus-
todia detinentur, sed factis perfidiam suam produnt; clanculum enim
25 fidei hostibus et pseudopraelatis intima necessitudine coniuncti
sunt; pro libito eos caeterosque familiares invisunt; piorum aedes,
opes, consilia, arcana omnia detegunt. Ex his larvatis seliguntur
alii qui ad diversas christianorum principum curias perlustran-
das, imo ad sacram fidei Romanae arcem (ut nuper innotuit) desti-
30 nantur; alii ad discordias apud clerum populumque catholicum exci-

/ tandas nutriendasque designantur; alii denique ad receptae veritatis soliditatem infringendam, et ad Apostolicae Sedis auctoritatem minuendam scribendo operam navent, deputantur. Ex quorum numero est author illius libri qui contra Card. Bellarminium nomine Withring-

5 toni in lucem prodiit; quem non Withringtonus, sed eo consentiente, alius quidam larvatus, ab ipsomet Cantuariensi superintendente pro- palatus, composuit. Tantam libellus ille haereticis dedit insultandi causam ut papistas omnes (inquiunt) obmutescere compulerit. Est et aliud hic malum, Dei gloriam, et animarum salutem plurimum

10 impediens, nimirum summa quorundam incuria quibus praecipua dominici gregis cura demandatur; qui Apostolica praescripta circa profanum illud iuramentum, et caetera id generis sancita ad fidei puritatem servandam, et ad mores corrigendos spectantia, fidelibus efficaciter non suggerunt, sed politico silentio praetereunt. Hinc

15 est quod tam multi ad illicite iurandum accedant; multi etiam malignantium ecclesias frequentent, panemque calvinisticum deglutiant. Attamen non obstante horum ductorum oscitantia in iis quae ad Dei obsequium pertinent vix credi potest, quam solliciti sint de mitris et infulis, innovationibus, et aliis huiusmodi officiis

20 praestandis, quae huius saeculi corruptelas subindicant, et prudentibus quibusque catholicis maxime displicent. Hi quia eorum conatus contentionem sapiunt, non sunt sectariis adeo infesti, sicut alii multi tam ex regularibus quam ex saecularibus sunt; quos quia superiorum mandata exequuntur, ecclesiasticam disciplinam servant,

25 adversarii summo prosequuntur odio; quibus illud Salvatoris singulare debet esse solamen "Si mundus (inquit) vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Concludam tandem taediosam hanc calamitatum nostrarum narrationem cum morte principis nostri Henrici quae an bonum malumve omen portendat, nescio; id neminem latet il-

30 lum erga catholicos fuisse pessime affectum; et paulo ante mortem multis praesentibus cum Roboam dixisse, nempe patrem eius caedere

7 nos flagellis, se vero caesurum scorpionibus: addidit praeterea, Pa-
pa et Bellarminus patrem meum maxima iniuria affecerunt; ast ego
(inquit) si unquam sceptrā tenuero, fretus ope fratris mei comitis
Palatini Rheni, (qui scilicet sororem eius est in uxorem accepturus)
8 non calamo sed ferro vindictam de illis sumam. Omnipotens autem p
post paucos dies obstruxit os iniqui loquentis, et ante victoriam
tuba superbe canentis: quanquam si supervixisset non multum fuis-
set de effoeminato et imbelle tyrone curandum. Frater eius super~~st~~
stes, puer 12.annorum est, et communi hominum opinione non diu victu-
10 rus, est enim valde imbecillis, languidus et phthisi proximus. Ea hor-
ret animus christianus intelligere, horrent aures audire, quae de re-
ge, regina, sobole, aliisque eorum amicis intimis per libellos famosos
in dies disseminantur: quae si cum inopinata principis morte confe-
rantur prudentum coniecturis severissimum aliquod Dei iudicium huic
15 regno imminere praesagiunt. Ecce deformis Angliae facies (Card. Am-
plissime) quam etsi beatissimo patri nostro Paulo, tuaeque Amplitu-
dini notissimam esse non ignorem, his tamen novis accidentibus an-
sam praebentibus, de novo proponendam confidenter iudicavi; ut per
recentem et continuatam tribulationum nostrarum memoriam, eas primum
20 Deo sanctisque eius in caelo regnantibus, deinde amicis in terra, pa-
tronis, protectoribus, sanctissimo praesertim domino nostro Paulo 5^o
nostri amantissimo, Amplitudo vestra obnixè commendet. Londini, 9 De-
cemb.1612.

Amplitudini Vestrae servus in Christo addictissimus

25

Robertus Jones.

Cum iam finem scribendi fecissem, ~~ecce~~ (Illustriss: Domine) de
improviso trahitur in iudicium doctus quidam et venerabilis sacer-
dos nomine Ioannes Almondus, collegii Anglicani Romae quondam alum-
nus; iniquissime ob fidei professionem condemnatur; indignissime ad
30 supplicium rapitur; crudelissima carnificina perimitur; quae omnia
summa constantia et fortitudine sustinuit.